

defluens quidem, sed non effluens, e se non fluens, e se non diffluens, nec se circumfluens, neque in se refluens. Sed essentia, viribusque actionibusque propriis, et vita propria in se consistit. At quo modo inquiet quis iterum, ab incorpora luce, lumen corporeum? Lumen namque, non incorporum tantum est, verum etiam corporeum. Corpus quidem est, qua trine dimensum per totum spacium, quaquaversus effunditur. Incorporum rursus est, quia nulla ei est antitypia. Idque quia est immateriale. Sed manet adhuc dubitatio. Ab incorpora luce, quo modo incorporum, et corporeum simul lumen prodiit? Necessaria equidem ratione. Omne enim productum, producente suo est remis sius. Quia uti iam sæpe dictum ab identitate, in alteritatem cadit. Attamen illius est imago. Utrumque ergo, et incorporum, et corporum, necessario a luce, lumen evasit: medio inter incorporam lucem, et corporea entia statu. Ut nimirum, et ipsum, fontis sui particeps esset. Et sequentibus corporeis sui participationem largiri posset. Perque omnia, et qua incorporum, et qua corpus posset meare, et calorem secum cum rerum seminibus in omnia vehere, qui rebus cunctis præsto esset; omnia fovaret; omnia intus et extra nutriret conservaretque, et ad primum eorum fontem, omnia, quatenus sequi possent, et revocaret, et reduceret. Lux enim illa, paterni profundi, in quo, et in qua, entia omnia summo sunt gradu, sterilis esse non potuit. Ideoque lumen hoc e se produxit quod profundi esset imago. Imago autem esse non poterat, nisi a luce aliquid haberet. Et ab identitate illius in alteritatem caderet; secum tamen feret imaginem. Illa autem primam, omnia entia continebat, imaginem ergo omnium entium lumen secum retulit; iisque factum est gravidum, quæ suo modo postea pareret per calorem in fluore; uti postea patebit. Si hæc ita esse, demonstrabimus, et partim sunt iam demonstrata, non ne merito in Panaugia, lumen a nobis, uti maximum optimumque Dei Optimi Maximi instrumentum, fuit celebratum? Ut quod et iucundissimam entibus omnibus præstaret habitationem, entibus omnibus esset gravidum, luces omnes corporeas e se pareret. In omnia calorem, et cum calore rerum semina veheret: per quem, omnia et essent, et bene essent. Id autem ita esse, deinceps ordinatim est demonstrandum. Cuius demonstrationis hoc Zoroastri oraculum initium esto.

ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

De Deo luce primaria lumen primogenium, et ab una luce lumen unum, bene dicit modo intelligat. Illud lumen primogenium, et unum esse secundam personam in divinis filium scilicet qui est lumen de lumine ante quem nullum aliud lumen emicuit, nec bene sonat ut illud lumen primo genium, dicat materia in qua sol, sidera veteraque luces constitutæ sunt, sed potius et melius dicitur sapientia patris, per quam sol et cuncta entia sunt productæ iuxta illud psal. omnia in sapientia fecisti. Ab infinita luce, lumen infinitum, verum quidem est, si intelligamus filium, qui est lumen increatum quem nunquam definit produceret et semper est productus; quem ad modum præsentem sole ær semper illuminatur, et semper est illuminatus, ad significandum ergo præsentialem et permanentiam æternitatis dicitur semper nasci filium ipsum, dicitur et melius semper natum, ut si semper designet permanentiam eternitatis, et si mens perfectionem geniti, iuxta illud. Hodie genui et si autem illud infinitum pro lumine creato, ad quod concurrunt omnes tres personæ, et unum principium, intelligat, non est necesse a luce infinita oriri lumen infinitum: cum Deus non sit agens a natura producens toto suo possem sed liberum voluntarium producens pro ut vult, nec hac de causa cum tangit invidia quoniam agit sapienter, ut sibi expediens nideretur, et conveniens universo quare etiam non est necesse ut tota sua bonitate exeat in opus exterius.